

non quod præcisè futura tantum prædicerent, sed quod divinò afflatu singularibusque visionibus vel apparitionibus informati essent de divina voluntate rectoque Dei cultu, quod intimiori cum Deò familiaritate fruerentur, ejusdemque voluntatis ad homines, tam intra, tum extra familiam suam, essent interpretes aut internuncii. Huc Isaaci prophetica benedictio *Gen. XXVII, 28. seq.* itemque Jacobi *Gen. XLVIII, 19. seq. c. XLIX, 1. seq.* huc manifestus etiam propheta titulus, Abrahamo à Deo datus *Gen. XX, 7.* qui ipse Abraham prænoverat etiam Sodomæ excidium posteritatis suæ captivitatem, liberationem, benedictionem in Messia, &c.

הרע (ne) *malefaciatis* :) i. e. ne molestiam damnumve illis inferatis ullò modò, sive directè, sive indirectè, sive commodis ipsorum obfistendo, sive injurias actu inferendo, &c. vide *Psalm. LXXIV, 3.* omne הַרַע hostis in sanctuario: *Prov. XXIV, 8.* cogitans לְהַרַע c. IV, 16. non dormiunt, nisi יָרַע *Campan.* in prophetas meos videte, ne sitis injurii.

EXPLICATIO VERSUS XVI.

וִיקָרָא & *vocavit famem* :) i. e. certò consiliò, citò, facili labore unòque velut nutu annonæ caritatem superinduxit. *Vocandi* verbò alluditur ad magnatum imperia, quibus accersiti è vestigio adstant ministri, ipsorumque exequantur jussa: ita ergo *gladium* quoque dicitur *vocare* Dominus, quando ipsiusmet nutu aut, permissione bellum existit, *Jer. XXV, 29.* *Ezech. XXXVIII, 21.* sic vocat etiam ficitatem, *Hagg. I, 1.* frumentum, *Ezech. XXXVI, 29.* famem, 2. *Reg. VIII, 1.* & b. l. Proindeque *Vocandi* verbò indicatur universalis Dei potentia, quæ etiam ea, quæ non sunt, vocat tamen, ac si essent, eademque h. m. facit existere, *Rom. IV, 17.* item providentia, quæ non fortè fortuna tale emergit malum, sed prius vox Dei requiritur accersens. Confer. *Jes. XIII, 3.* *XL, 4.* *XLVIII, 13. 15.* *XLVI, 11.* *Jer. I, 15.* *Amos. V, 8.* IX, 6. Lutherus: er ließ eine Eheuerung ins Land kommen.

רַעַב *famem* :) de qua *Gen. XLI, 56. 57. XLII, 1. seqq. XLV, 6.* quòd non unam Cananæam, sed & Ægyptum vicinasque regiones plures prelerit.

כֶּסֶה *baculum panis* :) i. e. omnis generis alimenta, quibus humana natura, ne per labores viriumque absumtionem delassata collabatur, indies fulcienda est, ad instar senis decrepiti, vel ægritudine aliqua affecti aut debilis, cujus si *scipionem frangas*, simul eundem prolabi facis: *Exod. XXI, 19.* 2. *Sam. III, 29.* *Zach. VIII, 4.* Eadem hac metaphora de *baculo* seu virtute nutritiva panis, adhibetur etiam *Lev. XXVI, 26.* *Ezech. IV, 16.* V, 16. XIV, 13. sic *baculum panis* amovere *Jes. III, 1.* Huc panis vis corroborans *Psalm. CIV, 15.* (Lutherus: entzog allen Vorrath des Brods.) Per כֶּסֶה tum fruges, tum legumina fructusque arborum intelliguntur, veluti latissimus ille *Panis* ambitus ex oratione Dominica nemini non constat.

EXPLICATIO VERSUS XVII.

שִׁחַ *misit* :) providentiâ nimirum suas malas fratrum actiones ad bonum finem, citra tamen ipsorum intentionem, dirigendo: qua rati-

one *Gen. XLV, 8.* dicitur: non vestra voluntate, sed Dei consilio huc missus sum: vers. 5. misit me Deus ante vos. Quæ aliàs Calviniani pro se hinc proferant in doctrina de causa peccati, legi possunt apud *Thum. caus. pec. p. 52. seq. Weller. p. 1. anti-Mass. pag. 637.* & *Gottes Heiligf. pag. 460. seq. Schaffm. caus. pec. p. 182.* *Gerhard. LL. de prov. th. 118.*

וְאִישׁ *virum* :) videlicet Josephum, ut mox sequitur. qui verè וְאִישׁ *virum* se præstitit in Ægypto, tam in domo Potiphar ac commentarientis, quàm postmodum in aula totoque regno. Nota sunt, quæ de discrimine וְאִישׁ & אִישׁ alibi proferuntur.

לְעַבְדִּי *in servum, vel, pro servo* :) elucescit hinc eò magis divina sapientia, quæ ad grandia hominibus conferenda beneficia deipsectis uti solet mediis; deprimit, antequam extollat, &c. 1. *Sam. II, 6. seqq.*

EXPLICATIO VERSUS XVIII.

עָנּוּ *affluerunt* :) nimirum Ægyptii: vel impersonaliter, *afflictus* fuit. hoc enim modo verba tertiæ personæ veniunt exponenda, si desit nominativus expressus. Exempla vide *Psalm. LXXV, 2.* *Psalm. LXXXIII, 17.* *Cob. I, 10. 1X, 15.* *Prov. IX, 11. X, 24.* XIII, 10. 21. XXIV, 8. De verbo autem עָנּוּ *affluxit, agre fecit*, dictum *Psalm. XC, 15.* & CII, 24.

בְּכַבְלֵי *compedibus* :] vox hæc, quæ à R. *Nabane* exponitur per *catenam ad ligandos pedes*, non occurrit in sacris, nisi *Psalm. CXLIX, 8.* ut vinciant nobiles eorum בְּכַבְלֵי בְּרִזָּר *compedibus ferreis*, adeoque satis constat, Josephum in carcerem detritum, non honestius fuisse tractatum, nec in libera custodia versatum esse, sed fervili prorsus duroque modo sensisse compedes, siquidem mancipiorum hæc erat pœna, uti patet ex Terentii Phormione; *berus si redierit, molendum usque in pristino, vapulandum, habenda compedes, opus ruri faciendum.* Confer *Psalm. CVII, 10.* de אֲסִירֵי *vinculis* miseræ & ferri. Intelligitur autem hæc compedum injectio de captivitatibus iniis asperioribus, *Gen. XXXIX, 21. seq. XL, 15. XLI, 12.*: cum aliàs ministeria ejusmodi, quæ illic recensentur, obire vix potuissent; nisi fortè instar captivorum Turcicorum hunc etiam compede ligatum dixerimus obambulasse.

בְּרוּחַ (in) *ferrum venit anima ejus* :) i. e. ipsemet hic miser Joseph durissimam passus est captivitatem. Per *ferrum* enim, quod durum in se est ac intractabile, ponderosum, moleque suâ crucians, tumorem aut vulnera inducens, agilitatem impediens, &c. intelliguntur instrumenta illa ferrea, quibus captivorum pedes, brachia, manûs aut collum dure constringuntur, è quibus elabi impossibile, in quibus detineri summe molestum. Ita *Drusius cent. 1. mist. 13.* ferrum accipit pro nervo ferreo, quomodo ξύλον Aristophanes, & Lucas *Actor. XVI, 24.* vocant numellam, quam Plautus Persâ *ligneam* dicit *custodiam*, ita hic pedum vincula ferrea, *boja* aliàs dictæ. Vide *Delrio t. 1. adag. 135.* *Vulg. ferrum* pertransiit animam ejus, minus commode. Ellipsis ante hoc nomen, aliunde supplenda, v. g. *Psalm. LXVI, 12.* equitare fecisti homines super capita nostra, כָּאֵשׁ וּכְמַיִם. Hæc licet non ita legantur κατά τὸ ῥητόν in Genesi, licet